



Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de attributis, de visione Beatifica, de scientia Dei, ac
de ejus voluntate, & Providentia

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

Art. I. Breviter exponuntur, & declarantur quæ de divinis nominibus,
communiter docent Theologi,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77232)

furari tempore, non ævo; quia actiones corporales quas Christus in natura assumpta exercebat, dum erat viator, erant subiectæ mutabilitati temporis, & ab illo mensuratae, sicut actiones aliorum hominum.

§. III.

Solvuntur objectiones.

19. **O**bjicies primò contra primam conclusionem: Visio Pauli quam habuit in via, fuit ejusdem rationis cum ea quam modò habet in patria, utpote terminata ad idem objectum, & procedens ab eodem lumine gloriæ, & ab eadem specie divinæ essentia: Sed illa fuit defectibilis, & subiecta mutationi, ac proinde mensurata tempore: Ergo & ista.
20. Respondeo primò, quòd licet visio D. Pauli fuerit ejusdem rationis, quantum ad speciem, & substantiam, cum illa quam modò habet in patria, non tamen quantum ad statum, & modum durationis, quia non fuit data per modum status perfecti & permanentis, sed per modum transeuntis, non tollentis statum viæ. Unde D. Thomas 2. 2. quæst. 175. art. 3. ad 2. numerat illam inter prophetias, & ad modum prophetiæ, seu coruscationis transeuntis, dicit fuisse communicatam: quare licet illa per accidens, & ratione status, fuerit subiecta mutationi, & mensurata tempore; visio tamen quæ nunc fruitur in cælo, est omnino immutabilis, & indefectibilis ab intrinseco, ac proinde non mensuratur tempore, sed æternitate participatâ.
21. Secundo dici potest, visionem D. Pauli quam habuit in via, fuisse mensuratam æternitate participatâ, sicut illa quam modò habet in patria: quia ab intrinseco, & ex sua natura, erat immutabilis & indefectibilis, quamvis ab extrinseco, & per Dei potentiam, fuerit mutata & destructa; sicut etiam Deus de absoluta potentia mutare potest, & destruere visiones quæ sunt in patria; & sicut ipsa substantia Angeli, quæ mensuratur ævo, potest definere, si Deus voluerit eam annihilare.
21. **O**bjicies secundo contra secundam conclusionem: Ævum est mensura rei immutabilis in suo esse, & mutabilis secundum operationes ei adjunctas: Sed visio beatifica, quamvis sit immutabilis, & indefectibilis in suo esse, est tamen mutabilis quoad perfectiones adjunctas: Ergo mensuratur ævo. Major constat, nam substantia Angeli mensuratur ævo, quia licet sit in se incorruptibilis & indefectibilis, habet tamen aliquam variationem accidentalem, quoad motus locales, & operationes illi adjunctas. Minor verò probatur: Beati non vident statim initio beatitudinis omnia quæ pertinent ad eorum statum, sed de his paulatim, & successivè illuminantur à Deo, ut diximus articulo præcedenti: Ergo visio beatifica admittit in se revelationes & illustrationes, ac proinde mutabilis est quoad operationes illi adjunctas.
23. Respondeo distinguendo Majorem. Ævum est mensura rei immutabilis in suo esse, mutabilis verò secundum operationes illi adjunctas per se, concedo. Illi adjunctas per accidens tantum, nego. Similiter distinguo Minorem: Visio beatifica est mutabilis quoad operationes illi adjunctas per se, nego. Illi adjunctas per accidens, concedo.
- Explicatur: In beatis duo sunt genera operationum: quædam per se consequuntur ad visionem

A beatificam, ut amor, fructio, delectatio; & istæ sunt omnino immutabiles, & indefectibiles ab intrinseco, sicut ipsa visio à qua dimanant. Aliæ verò sunt quæ visioni beatificæ per accidens adjunctuntur, ut illuminationes, & revelationes quæ fiunt extra verbum; quæ, ut supra diximus, per se non pertinent ad visionem beatam, sed ad illud genus cognitionis, quam Theologi appellant scientiam infusam, quæ per accidens ad illam consequitur. Quamvis ergo in beatis sit aliqua mutatio, & variatio accidentalis, quantum ad illustrationes, & revelationes factas extra verbum; quia tamen ipsa visio beata nullam patitur mutationem, quantum ad alias operationes quæ per se ad illam consequuntur, non mensuratur ævo, sicut substantia Angeli, quæ est principium, & radix operationum mutabilium quæ per se ad illam consequuntur, sed æternitate participatâ.

24. **O**bjicies tertio contra tertiam conclusionem: Visio beata habet divinam essentiam loco speciei: Ergo debet mensurari eadem mensurâ quæ illa: Sed essentia divina æternitate essentiali mensuratur: Ergo & visio beatifica.

Respondeo concessio Antecedente, negando Consequentiam. Licet enim essentia divina quæ in visione beatificæ gerit vices speciei, in se mensuretur æternitate essentiali, quia tamen concursus ejus ad visionem, incipit & potest definire, & illa potest ad majorem vel minorem visionem concurrere, quod totum importat aliquam mutabilitatem, saltem ab extrinseco, & in ordine ad potentiam Dei absolutam; ideo visio beatifica mensuratur æternitate participatâ non verò essentiali. Sicut etiam licet Verbum divinum suppleat rationem personæ in humanitate Christi; unio tamen hypostatica, ut supra dicebamus, non mensuratur ipsâ æternitate essentiali, sed participatâ. Tum quia incipit aliquando, & de absoluta Dei potentia potest definere. Tum etiam, quia licet humanitati communicetur existentia divinæ, illa tamen non communicatur ut propria, & homogenea ipsi, sed ut suppleans vices existentia creatæ.

DISPUTATIO VII.

*De Nominibus Dei.**Ad quæstionem 13. D. Thome.*

Licet Deus ineffabilis sit, ipsumque (ut olim dicebat Plato) intelligere difficile sit, loqui autem impossibile: tamen de nominibus ejus breviter hic cum S. Doctore differendum est: Divina enim (inquit Leo Papa) considerationis materia, ex eo quòd ineffabilis est, fundi tribuit facultatem; nec potest deficere quòd dicatur, dum non potest esse satis quòd dicitur. Serm. 4. de Passione.

ARTICVLVS VNICVS.

Breviter exponuntur, & declarantur quæ de divinis nominibus, communiter docent Theologi.

Quæ Theologi communiter docent cum D. Thoma de divinis nominibus, facilia sunt, & deduci possunt ex doctrina quam tradidit Aristoteles 1.

teles 1. de interpret. ubi docet nomina significare res mediante conceptu; subindeque nomina imposita ab aliquo, non magis rei quidditatem significare, quam ipse conceptus imponentis vel loquentis exprimat. Ex quo

1. Inferes primò contra Scotum, Vazquem, Molinam, & Arriagam, non posse à viatoribus imponi Deo nomen, quod ipsum quidditativè, & ut est in se significet: quia nullus viator potest (saltem de lege ordinaria) cognoscere Deum quidditativè, & ut est in se ipso. Quam rationem tangit Augustinus in Psal. 84. his verbis: *Quid queris ut ascendat in linguam, quod in cor non ascendit?*

2. Dices cum Vazque, mensuram significationis nominum non debere sumi ex eo qui nomen imponit, nec ex eo qui loquitur, sed ex eo qui audit, & intelligit conceptum loquentis: unde cum viatores possint excogitare nomen, quod excitet in beatis conceptum quidditativum Dei, possunt illi nomen imponere, quod ipsum quidditativè significet, quamvis illum quidditativè non cognoscant. Sicut (inquit) Rex Hispaniæ potest nomina imponere civitatibus Indiarum, quas nunquam vidit: quibus auditis, qui illas viderunt, eas quidditativè intelligerent.

3. Sed contra primò: Ex Aristotele citato, *Voces sunt eorum que sunt in anima passionum note*: id est vitales expressiones nostrorum conceptuum: Ergo vis significationis in vocibus, debet sumi ex eo qui loquitur, & exprimit suum conceptum, non verò ex illo qui audit, & talem conceptum intelligit.

Secundò, Si significatio vocum ad solum audientem referatur, sequitur quòd si quis proferret propositiones alio modo quam sentit & concipit, non diceretur mentiri; quia non exprimeret suam mentem, sed solum objectum extrinsecum, eo modo quo ab audiente percipitur: Sed hoc est falsum & absurdum, ut constat: Ergo & illud.

Tertiò, Sequeretur quòd pssitacis verè loqueretur, quia licet non intelligat quæ dicit, excitat tamen in audiente cognitionem ejus rei quam profert.

Denique, Si vera esset hujus Authoris doctrina, creaturæ possent Deo imponere nomen, quod ipsum, nedum quidditativè, sed etiam comprehensivè significaret: Consequens est falsum, ut patet: Ergo & Antecedens. Sequela probatur: Ex parte Dei non deest vis ad cognitionem sui comprehensivam; ex parte verò nostri, potest esse talis intentio, nomen aliquod instituendi, quò Deum totaliter quantus est, ipsi significemus: Ergo si non est necessarium, ut qui nomen imponit, tantum de re significata noverit, quantum in significatione ponit, ut docet Vazquez, poterit à creaturis imponi Deo nomen, quod illum sibi ipsi comprehensivè significet: sicut in ejus sententia, viatores, quamvis Deum quidditativè non intelligant, illi possunt imponere nomen, quod excitet in beatis quidditativum ejus conceptum.

4. Inferes secundò contra Bannem, & Zumel, posse Angelos, & homines beatos, Deo nomen imponere, quod ejus essentiam ut in se est significet, & declaret.

Probatur: Utenim dicit S. Doctor hic art. 1. *Secundum quod aliquid à nobis intellectu cognosci potest, sic à nobis potest nominari*: Sed Angeli,

Tom. I.

A & homines beati, cognoscant Deum ut est in se: Ergo ipsum nominare possunt, nomine proprio, illum ut est in se significante, juxta illud Zachariæ ultimo: *In illa die erit Dominus unus, & nomen eius unum.*

Neque valet quod respondet Bannez, nimirum Prophetam ibi ad litteram non loqui de visione beatifica, sed de statu Ecclesiæ militantis; & significare, non futurum in Ecclesia plurium Deorum cultum, sed unicum Deum ab omnibus invocandum. Non valet, inquam, licet enim hæc interpretatio possit admitti, tamen D. Thomas hunc locum etiam intelligit de beatis videntibus Deum: Nam in 1. sent. dist. 2. quæst. 1. art. 3. quæstiunc. 4. sic ait: *Si intellectus noster Deum per seipsum videret, illi posset imponere nomen unum, quod erit in patria; & ideo dicitur Zachariæ ultimo: In illa die erit Dominus unus, & nomen eius unum.* Idem docet 1. contra Gentes cap. 31. his verbis. *Si nos divinam essentiam, prout est in se, possemus intelligere, & ei nomen proprium adaptare, uno nomine tantum illam exprimeremus, quod promittitur his qui eam per essentiam videbunt, Zachariæ ultimo.* Quibus verbis excluditur alia responsio ejusdem Authoris, dicentis per nomen illud unum, quod videntibus Deum à Propheta promittitur, intelligi verbum increatum. Nam videntibus divinam essentiam non promittitur visio in verbo, quæ includitur, aut idem est cum visione beata, sed aliquid aliud, scilicet unius nominis impositio. Et in hoc sensu exponit etiam Lyranus verba Zachariæ.

Dices primò cum Zumel: Intantum potest aliquis nomen imponere, in quantum habet conceptum, & speciem expressam de re quam vult manifestare: Sed beati non habent speciem expressam creatam quæ Deum quidditativè representet, ut supra ostendimus: Ergo non possunt Deo nomen quidditativum imponere.

Confirmatur, & magis declaratur hæc ratio. Non potest Deus per speciem aliquam creatam quidditativè representari: Ergo nec significari aliquo nomine creato, ejus essentiam, & quidditatem declarante. Antecedens constat ex dictis disp. 2. Consequentia etiam videtur manifesta ex paritate rationis.

Respondeo, Ad hoc ut beati Deo nomen quidditativum imponant, sufficere quòd habeant conceptionem, id est intellectionem creatam, terminatam ad essentiam divinam, ut est in se, & ut gerentem vices verbi, & speciei expressæ; nec esse necessarium, ut habeant speciem impressam vel expressam creatam. Unde ad confirmationem, negatur Consequentia & paritas: quia diverso modo, species & nomen significant; species ut naturalis similitudo objecti, quam esse oportet ejusdem ordinis, & immaterialitatis cum illo; nomen, ut signum ad placitum, & per extrinsecam denominationem; quæ ratione non repugnat res inferioris ordinis significare ea quæ sunt ordinis superioris.

Inferes tertiò: A beatis, vel à Deo ipso, non posse pro viatoribus, seu carentibus visione Dei, imponi nomen quidditativum Dei. Nomen enim quidditativum debet in audiente excitare cognitionem quidditativam rei: At in viatoribus non potest excitari quidditativa Dei cognitio, cum illa careant: Ergo nec pro illis imponi nomen quidditativum Dei.

Δα

8. Inferes quartò : Neque à viatoribus , neque à beatis , nec ab ulla creatura possibili , imponi posse Deo nomen ipsum significans adæquatè , & comprehensivè : quia , ut supra ostendimus , nulla creatura existens , vel possibilis , potest Deum comprehendere : Ergo nec illum comprehensivè significare.
9. Inferes quintò : Neque à Deo ipso imponi posse nomen , quod ipsum alteri quam sibi ipsi comprehensivè significet : quia in nullo alio est , aut esse potest , facultas Deum comprehendendi , & tam perfectè cognoscendi , quam se cognoscit Deus ipse.
10. Inferes sextò : Possè à viatoribus Deo imponi plura nomina ex creaturis , quæ diversas ejus perfectiones imperfectè declarent. Deus enim imperfectè à nobis ex creaturis cognoscitur , juxta illud Apostoli ad Roman. 1. *Invisibilia Dei , per ea quæ facta sunt , intellecta conspiciuntur.* Unde in sacris litteris , variis nominibus Deus insignitur : nam modò sanctus , modò bonus , altissimus , omnipotens , admirabilis , terribilis &c. cognominatur , ut (inquit Hieronymus in Epistola ad Marcellam) per plura creaturarum nomina , veluti per quosdam gradus , ad infinitam creatoris perfectionem ascendatur ; & multiplices omnium creaturarum perfectiones , in simplicissima divinæ naturæ perfectione contineri declarentur. Vel , ut ait Ficinus , ut multa , varique bona , à divina bonitate largissimè profuentia , exprimerentur.
11. Sed inter hæc nomina , præcipuè notanda sunt decem illa , quibus apud Hebræos Deus olim cognominari solebat , ut notat D. Hieronymus in eadem Epistola. Primum est אלה *El* , quod Deum fortem significat. Secundum אלהים *Eloah* , quod Deum providentem , gubernantem , & videntem declarat. Tertium est אלהים *Elohim* , quod præcedentis plurale est. Quartum אלהים *Tzeboath* , quod semper cum alio Dei nomine conjunctum est , ut יהוה אלהים *Jehovah Tzeboath* , Dominus exercituum , quod Vulgatus Psal. 24. v. 10. vertit , *Dominus virtutum*. Quintum אלהים *Eljon* , id est , excelsus. Sextum אלהים *ehjeh ascher ehjeh* , id est , si verbum verbo exprimas , *ero qui ero* , quod vulgatus vertit , *sum qui sum* , cum apud Deum futurum ipsum præsens sit. Septimum אלהים *Adonai* , quod Dominum significat. Octavum יהוה *Jah* , quod sonat in fine הללויה *Hallelujah* : componitur enim ex הללו *Hallelu* , id est *laudate* , & יהוה *Jah* , hoc est *Deum*. Nonum אלהים *Sadai* , quod munificum , liberalem , & omnipotentem significat. Decimum est nomen Tetragrammaton יהוה *Jehovah* , quod communiter pronuntiarum solet ; illud tamen Hebræi religionis & reverentiæ causâ pronuntiare non audebant , habentes sacratissimum , tanquam nomen Dei primarium & essenziale , ejus essentiam ut in se est significans , unde ineffabile nomen esse dicebant ; & quando in sacra Scriptura occurrebat , loco illius *Adonai* pronuntiabant. Quod & observavit noster vulgatus Interpres , Exodi 6. versu 3. sic vertens *nomen meum Adonai non indicavi eis* : in Hebræo enim non est *Adonai* , sed nomen Tetragrammaton ; quod quia est ineffabile , Interpres , more veterum , pro eo substituit nomen *Adonai*.
12. Observandum est etiam , apud omnes ferè gentes , sacrum Dei nomen Tetragrammaton esse , utpote quòd quatuor litteris ubique scribatur. Ægyptij enim Deum vocant *Iheou* , Persæ *Syre* , Magi *Orsi* , Græci *Θεου* , Armeni *Vors* , Arabes & Turcæ *Alla* , Germani & Angli *Gotb* , Galli *Dieu* , Hispani *Dios* , Itali *Idio* . Hebræi demum יהוה *Jehovah*.
- Inferes septimò : Quòd sicut Deus à nobis triplici viâ intelligitur , nempe per viam remotionis , per viam excessus , & per viam causalitatis , ut docet Dionysius cap. 1. & 7. de divin. nomin. Ita etiam triplici genere nominum à nobis appellari solet ; aliqua enim remouent ab illo imperfectiones creaturarum : ut quando dicitur incorporeus , immaterialis , incompositus &c. Et hunc modum cognoscendi Deum , appellat Dionysius , modum cognoscendi per ignorantiam , quem existimat omnium dignissimum , dicens : *Et est rursus divinissima Dei cognitio , quæ per ignorantiam cognoscitur , quando mens ab omnibus aliis recedens , & postea seipsam dimittens , unita est superfluentibus radiis &c.* Alia verò sunt nomina quæ significant Deum per modum excessus , & supereminentiæ : ut quando dicitur superperfectus , superexcellens , superpulcher , superstantia &c. Alia denique exprimunt ejus causalitatem , vel dominium eiga creaturas : ut quando vocatur creator , dominus , gubernator , provisor &c.
- Inferes ultimò : Deum non dici nec esse ineffabilem eo sensu , ut nullus de ipso sermo haberi , nullumque ipsi nomen à creaturis imponi possit : sed dicitur ineffabilis , primò quia à viatoribus nullum potest imponi nomen , ejus essentiam ut est in se , clarè & quidditative declarans : Hoc enim (inquit Nazianzenus) *Deus Orati. 49. est , quod cum dicitur , non potest dici ; cum asseritur , non potest asseriri ; cum definitur , ipsa definitione crescit.* Dixit autem Deum ipsa definitione crescere , quia licet definitio dicatur terminus rei , quia eâ veluti termino & fine res clauditur ; tamen cum Deum definire & determinare contendimus , ita se habet , ut semper aliquid illius extra maneat ; eò quòd natura ejus ab intellectu creato propriâ virtute cognosci nequeat , nec viatori latè explicari & definitione describi.
- Secundò Deus vocatur ineffabilis , quia nullum illi nomen imponi potest , ipsum ulli creaturæ existenti aut possibili comprehensivè significans ; ita ut illo audito creatura formare possit cognitionem Deo adæquatam , & ipsum comprehendentem. Unde ipsi etiam beati , illum clarè videntes , dicuntur à Propheta in cælesti patria servare silentium , non solum quia in visione beatifica nullum formant verbum creatum , ut supra annotavimus ; sed etiam quia infinitam Dei essentiam , & perfectionem comprehensivè intelligere , & significare non valent : ut egregiè declarat sanctus Doctor in 1. dist. 2. quæst. 1. art. 3. quæstiunc. 4. his verbis : *Si intellectus videns Deum per essentiam , imponeret nomen rei quam videret , & nominaret , mediante conceptione quam de ea habet , oporteret adhuc quòd imponeret plura nomina ; quia impossibile est , quòd conceptio intellectus creati , representet totam perfectionem divinæ essentia. Unde de una re visa , diversas conceptiones formaret , & diversa nomina imponeret : sicut dicit etiam Chrysostomus , quòd Angeli laudant Deum ,*